



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. || Lvdovici || De Ponte Vallis-||Oletani, È Societate ||
Jesv Theologi.|| De || Christiani hominis || Perfectione In
Qvo-||libet eius Vitæ genere.|| Tomi Qvatvor.||**

Quorum argumenta ex S. Rvth Historia præcipué desumpta

Puente, Luis de la

Coloniæ Agrippinæ, 1625

Cap. IX. Humiliter & sine excusationibus audiendam esse Confessarij
correptionem; & cuiusuis amici, qui ex charitate de nostris defectibus nos
admonet.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39652

tibi. si enim verus ille est Dei Propheta, quemadmodum fuit Elifeus, animæ tuæ bonum desiderans, dicet quod magis tibi expedit: etiamsi arduum sit, ac doleat. alioquin periculo te exponis, quemadmodum Naaman, remanendi in tua lepra, contemnendo Confessoris tui iudicium & præscriptum, utpote iudicio tuo contrarium. Quod si quando prudens Confessarius imbecillitatis tuæ rationem habendam iudicet, ideoque iudicio tuo se accommodet, ac dicat: *quid vis ut faciam tibi?* quam vis pœnitentiam tibi præscribi? qua via vis deduci? debes potius te humiliare, & de tua imbecillitate erubescere: & in feruore spiritus respondere ei: non veni huc, ut fiat quod ego volo; sed quod mihi præscribetur, & Deus de me voluerit, illud sequar & amplectar.

CAPVT IX.

HVMILITER ET SINE EXCVSATIONIBVS AUDIENDAM ESSE CONFESSARIJ CORREPTIONEM; & CUIVSQVE AMICI, QUI EX CHARITATE DE NOSTRIS DEFECTIBVS NOS ADMONET.



P R I M V M, in quo pœnitens reuerentiam erga suum Confessarium & subiectionem ostendere debet, illud est: ut postquam sua peccata aperuerit, humiliter & in silentio reprehensiones & monita Confessarij audiat, iuxta consilium Ecclesiastici dicentis: *a audi tacens: & pro reuerentia & humilitate, quam in hoc ostendis, accedet tibi bona gratia.* Quæ enim gratia melior ea, quæ in hoc Sacramento communicatur, valdeq; excellenter obtinetur, cum Confessarij admonitio & correptio humiliter auditur? Sed quoniam hæc reuerentia, animique demissio erga Confessarium non est soli confessioni adstricta; est verò maximi momenti ad Christianam perfectionem consequendam, de ea nunc in tota sua latitudine & extensione agemus.

P R Æ M I T T I M V S tamen hoc fundamentum: quoniam sacramentalis Confessio propriè non nisi eas culpas complectitur, quas pœnitens agnoscit, & emendare desiderat: præter quas tamen alias habet sibi ignotas, aut quas emendare non curat: necessariam fuisse *correptionem fraternam*: cuius finis est, proximū cum prudentia & charitate de his defectibus admonere, ut se emendet: iuxta admirandum illud Ecclesiastici consilium: *b corripe amicum, ne forte non intellexerit, se peccasse, & dicat: non feci; aut, si intellexerit, & fecerit: ne iterum addat facere. Corripe amicum: sapè enim sit commissio, & delinquitur.* Vera autem amicitia ostenditur: dum is corripitur ob malè acta

a Eccl. 32. 9.

Fraterna
correptio.

b Eccl. 19. 13.

vt ea cuitet. Correptio enim (teste S. Thoma) est proprius actus charitatis; & vnum ex operibus misericordie spiritualis, quo subuenitur pauperibus, & in primis animabus eleemosyna tanto præstantiori omnibus corporalibus, quanto ipsa anima corpus, & bonum æternum excedit corporale, præcipue, quia pauperes & corpore infirmi miseriã suam agnoscunt, & de medio quærendo sunt solliciti; spiritu verò pauperes & infirmi, sæpè existimant se diuites esse ac sanos; aut, si paupertatem & infirmitatem suam perspectam habent, ad eò illa delectantur, vt non sint de medicina quærenda solliciti. Ideo quæ nisi aliquis alius ex charitate eam illis offerat, perirent illi irreparabiliter.

Hoc apparebit in triplici hominum genere, qui peccant, nec de reparandis suis defectibus cogitant: quos tamen, per correptionem admonitos emendant. Nam quidam sunt, qui ex nimio feruore & zelo, ex inaduertentia & indiscretè aliqua faciunt, existimantes esse bona: quæ tamen valdè à rectitudine aberrant. Et sic solent Tyrones, & parum in via perfectionis versari impingere, vt apparuit in Apostolis, cum nouitij essent in schola nostri Redemptoris. Sanctus enim Petrus indiscretò quodam feruore opposuit se & impedire voluit Christi Domini Passionem, dicens: *c absit à te Domine: non erit tibi hoc;* & lotionem suorum pedum, dicens: *d non lauabis mihi pedes in æternum;* & filij Zebedei voluerunt *e ignem de celo descendere, & consumere illos, qui ipsos non receperant.* Et alij ad Christum accesserunt multum sibi placentes, quod *f Damonia sibi subicerentur.* Et aliàs *g contendebant inter se, quis eorum videretur esse maior:* semper autem diuinus ipse Magister eos corripuit, & erroris admonuit. Ne autem existimes Tyrones tantum hoc nomine impingere, accipe exempla valdè antiquorum & perfectorum. Nam S. Petrus cum iam gerere se tanquam Ecclesia caput, bono zelo *h segregabat se à gentibus,* ne Iudeos turbaret: cuius tamen socius & amicus Paulus eum corripuit; *quia reprehensibilis erat.* Moyses quoque in se solum totius populi gubernationem suscipiebat, donec Iethro focer eius illum corripuit, dicens: *i non bonam rem facis: ultra vires tuas est negotium, & solus illud non poteris sustinere.* Quod si duo luminaria nouæ & antiquæ legis, admonitione opus habuerunt: quis tantum sibi attribuere audeat, vt ea se non indigere existimet, etiam si antiquissimus sit, sapiens, & sanctus?

ALII sunt imperfectiores, qui à proprio amore & vehementi aliqua passione raptati, in aliquos defectus incidunt; quos vel non aduertunt, vel parui faciunt. Nam (vt ait S. Gregor.) proprius amor excæcat oculos rationis; ne malum, quod faciunt, videant. Nam vt communi prouerbio dicitur: qui amat, etiam quod turpe est, pulchrum iudicat. Ex quo fit, vt facilius videamus aliorum defectus, quàm nostros: quia ad eos videndos non sunt

2. 9. 33. 4. 1.

Triplices errores.

I.

Zelus indiscretus.

c Mat. 16. 22.
d Ioan. 13. 8.
Luc. 9. 54.f c. 10. 17.
g c. 22. 24.

Etiam in senioribus.

h Gal. 2. 11.

i Exod. 18. 18.

Homil. 4. in Ezech.

2.

Amor proprius.

2 Reg. 11.
12.

oculi nostri amore proprio excæcati; nec trabem passionis habent, quæ illorum aspectum prohibeat. Necesse igitur est, vt superiores atque amici, qui candidè, & sinceris oculis tuos defectus aspiciunt, te moneant & corripiant: vt & tu, eosdem aduertens, emendare studeas. Quem enim non terreat Regis Davidis lapsus in adulterium & homicidium: quem amor proprius, passioque vehemens ita excæcavit, vt aut culpæ rationem non duxerit; aut eius fuerit oblitus per tempus decem mensium, cum scandalo interim totius populi? & fortè in malo illo statu etiam per decem annos permansisset, aut etiam nunquam se emendasset: nisi Nathan Propheta eum admonuisset. At qua ratione vir sanctus eum admonuit? culpam ipsius in alio quodam proposuit: vt eam Rex absque nube passionis, quæ aspectum culpæ propriæ impediebat, aspicere posset. Quæ culpa in alio posita ad eò turpis illi visa est; vt cum postea in seipso illam esse deprehendit, vehementer erubuerit. Si igitur virum secundum cor Dei ita occupauit passio, vt excæcauerit, & necesse fuerit tali arte rem illi proponere, vt moneri posset: quis securum se existimabit; & non confitebitur, se indigere correptione.

3.
Tepiditas.

Sed alij non minùs sunt imperfecti: qui etiam si culpas agnoscant, in quas inciderunt: ex animi tamen relaxatione ac tepore; imò nonnunquam etiam ex malitia, eas non emendant; sed potiùs Medicum fugiunt: quia nolunt peccatum deserere. nec deserent, nisi superiores & amici veri ex charitate faciant officium Medicorum, & illos corripiant. Viri enim honorati & ingenui bono aliquo verbo, & amica ac beneuola admonitione errores suos emendant, potiùs quàm si alia pœna infligantur, iuxta illud Salomonis: *k plus proficit correptio apud prudentem, quàm centum plagæ apud stultum.* & Seneca dixit: *nobilis equus vn. br. à virga regitur, ignauus nec calcari potest.* Ex quo fit, vt correptio non solum præteritos lapsus reparet; sed eius etiam timor ab eisdem præseruet. nam quando timor deest eius, qui corripere potest, multò faciliùs est labi. & propterea S. Bernardus dicebat: se magis timere peccatum occultum, quàm publicum. correptio enim adiuuat ad publicum deserendum: deest verò ad reparandum occultum. & vbi non est timor corripientis, tentator accedit quasi securus de victoria: ac proinde facilius est lapsus in culpam. Et S. Anselmus dicere solebat: vbi non est *correptio*, ibi est *corruptio*. Facile enim culpa serpit, & animam totam corrumpit: imò solet totam communitatem inficere. quemadmodum modicum fermenti (vt ait Apostolus) *totam massam corrumpit.*

k. Prou. 17.
10.
Lib. de Morib.

in Medita.
c. 14.

Correptio,
aut
Corruptio.

1. Cor. 5. 6.

MULTÆ rationes hinc deduci possent, quibus tenemur, quando, & prout expedit, proximorum defectus corrigere. id quod valdè proprium est confessorum munus, & Patrum spiritualium: quibus spirituale pœ-

niten-

nitentium bonum incumbit. Sed id tamen in alterum huius operis volumen rejicio: vbi de Prælatorum ac Patrum familias officijs & muneribus agetur. Nam mens mea in hoc capite est, solum agere de ijs, quæ ad ipsum correptum, siue in confessione, siue extra illam spectant: vt ex correptione utilitatem sentiat.

§. 1. *Quàm sit noxium, correptionem non admittere: & inanes ad id excusationes adferre.*

CVM virtutis fructus & commoda faciliùs cognoscantur ex incommodis vitij contrarij, explicemus priùs ea, quæ adfert non accepta correptio: quorum maximum est, quòd hominem faciat Dæmoni similem; cuius peccatum est incorrigibile, ac proinde incurabile, propterea enim Ecclesiasticus dixit, *a qui odit correptionem, vestigium est peccatoris, eius peccatoris*, inquit Lyranus, qui simpliciter peccator dicitur, hoc est *Dæmonis*. quare prope est, vt ad eius societatem infernum descendat, quasi ægrotus desperatus. Huius rei luculenti fuerunt testes duo filij Heli sacerdotis, qui quòd blandam & paternam eius correptionem audire noluerunt, & b *uterque eodem die mortuus fuit*. quare addit Scriptura permisisse Deum, vt illi non audirent vocem patris sui, quia eorum peccatis irritatus voluit Dominus occidere eos: imò eorum causa alij etià multi ab eodem Domino fuerunt puniti. Quemadmodum etiam, quòd Dauid non acceptasset verecundam, & reuerentià plenà admonitionem Ducis sui Ioab, cum iuberet numerari populum à Dan vsq; Bersabee. dicebat enim Ioab: *cadaugeat Dominus Deus tuus ad populum tuum, & centuplicet in conspectu Domini mei Regis: sed quid sibi Dominus meus Rex vult in re huiusmodi*. Cui modestissimæ admonitioni cum Rex nõ acquiesceret, in causa fuit, cur septuaginta millia virorù peste morerentur, in pœnà illius peccati.

AD irreparabile hoc detrimentum ascenditur per tres gradus, quos S. Bernardus *contemptum, impatientiam, & impudentiam* appellat. *Contemptus* consistit in eo, vt nihili faciat quod dicitur; neque ipsum dicentem: (quemadmodum ægrotus, qui & medicamenta, & ipsum Medicum ea præscribentem contemnit) quia mori potius, quàm moneri aut corrigi eligit: de quo Salomon ait: *qui odit increpationes, insipiens est*. Satis enim apparet: secundum rectam prudentiam potius fumendum pharmacum, etiam amarissimum, quàm vitam amittere.

HINC ascenditur ad secundum gradum IMPATIENTIÆ & indignationis in rectè monentem: quemadmodum Phreneticus, qui mordet manũ chirurgi, lethali eius vulnere medentis. *Mira*, ait S. Bernardus, *peruersitas, medicanti irascitur, qui non irascitur sagittanti*. orationi fuisset confenta-

Dæmon incorrigibilis.
1. Eccl. 21. 7.
Dæmon peccator.
Eccl. 19. 5.
Prou. 15. 10.
12.
b1. Reg. 2. 26
34. & 6. 4.
11.

c. 2. Reg. 24.
2. 15.
Pœna non audita correptionis.
I.
Serm. 42. in Cantica.
Contemptus.
d Pro. 12.

2.
Impatientia.

*irascere vul-
neransi, nõ
medico.
e Psal. 4. 5.
Regul. 52.
fus.*

f *Ecl. 10. 28*

3.
Impudētia.

g *Ierem. 33.*

h *Isa. 3. 9.*

*Superbia
correctionē
odit.*

Iob. 3. 11.

*S. Greg. 8.
Moral. 6. 24.*

*Hypocrita
incorrigibi-
lis.*

*Homil. de
ferendis re-
prehens. 10. 2.*

neum magis, si tuam iram in *Demonem* conuerteres: qui tentationis iagit-
tam in te iecit; & contra *carnem* tuam, quæ te ad culpam prouocauit; & ip-
sammet *culpam*, quæ te ad mortem & pœnam æternam deducit: talis enim
ira est verè medicinalis ac salutaris, iuxta illud Psalmi: *irascimini, & nolite
peccare.* & S. Basilius ægroti prudentiã laudat, qui non conqueritur, aut mur-
murat de chirurgo, etiam si læcet ipsum & vrat: si quidem ea via recuperat san-
nitatem. Quod ipsum confirmat Ecclesiasticus dicens: *f vir prudens & disci-
plinatus non murmurabit correptus.* Stultus autem est, sicut *canis*: ad quem cum
iacitur lapis: si iacentem mordere non possit, eo relicto, *lapidem* mordet; i-
ram suam in lapide vlciscendo, etiam si dentes ex eo cruentet. Ita impatiens
ipsam correptionem mordet, notam falsitatis, indiscretionis, & irreuerentiæ
illi impingens; & hoc modo sese vlciscens, multum sanguinis peccatorum
ex impatientia effundit. Quæ impatientia crescens ad tertium deducit gra-
dum, scilicet *IMPVDENTIAM*: qua reuerentiam omnem & respectum Deo & ho-
minibus debitum amittit: dum excusat, defendit, aut denique culpam ipsã
dicit bonam. vt meritò de eo dicatur, quod populo Israel Ieremias obijcit:
g frons mulieris meretricis facta est tibi. noluisi erubescere. nec reprehensionis
rationem ullam ducis, quia potius de mala tua vita gloriaris, & *h peccatum
tuum quasi Sodoma predicat.* Tunc autem is magis accedit ad execrandam
cum Dæmone similitudinem, minorque est curationis & sanitatis spes.

H O R V M omnium incommodorum radix vniuersim solet esse *super-
bia*, & inordinata excellentiæ & honoris apud homines appetitio. quæ è
diametro correptioni & reprehensioni repugnat: eò quòd sibi persuadeat,
ignominiam aliquam ex eo contrahere. quamobrem ambitiosi, inanis glo-
riæ cupidi, & hypocritæ vehementer horrent reprehensiones: sunt enim
(quemadmodum quidam Iob amicus dixit) sicut *scirpus siue carectum*, quod
etsi multos flores proferat, cuspides tamen & spinas multas habet, quæ a-
speritate sua manum carpentis incidunt: quamobrem nemo eas corripere
audet. & nihilominus *cum adhuc sit inflore, nec carpatur manu; ante omnes her-
bas arefcit.* & tales, ait S. Gregorius, esse superbos & hypocritas: quorum
vita in exterioribus sancta & iucunda apparet: sed quoniam vehe-
menter cupiunt honorari, acutissimis spinis sunt pleni: quibus quemcun-
que in honore eos tangentem, etiam blanda manu & reprehensione iu-
sta, pungunt & cruentant. Nam *hypocrita* paratior est mori, quàm corripi.
ideoque citius moritur quàm reliqui peccatores. quia remedium, quod a-
lij habent, ipse admittere recusat. nec est, qui audeat, eum reprehendere:
non solum, vt proprium damnum euitet; sed quia ille redargutione dete-
rior redditur, noua pristinis addens peccata. Vnde S. Chrylostomus ait:
maximum Ecclesiæ & Religionum nocumentum prouenire ex eo, quòd

agré feramus reprehendi: & propterea non sit qui audeat id facere. Deumque permittente, ut molesti simus cum *arguimus*: quia exasperamur, cum *arguimur*.

Ex hoc maximum humani generis damnum, initium habuit, postquam primi parentes nostri deliquerunt. Nam cum ipsemet Deus ad eos veniret, ut corripere, non libenter correptionem exceperunt: cum enim humiliari debuissent, culpamque suam deprecari, ne ex paradisi loco eijcerentur: in anibus excusationibus adhibitis, culpam suam auxerunt. A quibus eius posterius pravam hanc ad excusationes propensionem heredarunt, tam in ipsa confessione, quam cum extra illam corripiuntur, utentes excusationibus in peccatis, modis illis, quos Sanctus Bernardus his verbis exprimit: ait enim, qui se excusat, dicit: aut non feci: aut feci quidem, sed bene feci; aut si male, non multum male; aut si multum male, non mala intentione: si autem & de illa, sicut Adam & Eua conuincatur: aliena suasionem excusare se nititur. Quinque excusandi modos & vias insinuat hic S. Bernardus. *Primus* est negatio ipsius culpæ: quemadmodum Ananias & Saphira eam negarunt, & *mentientes* aperte *Spiritui sancto*: aut quemadmodum *Cain* indirectè, cum à Deo interrogatus: *vbi esset Abel*, quem ille interfecerat, *respondit: nescio, num custos fratris mei sum ego?* *Secundus* modus est, cum factum quidem agnoscit; sed illud tamen defendit, & apparenti aliqua ratione iustificare nititur: quemadmodum Saul à Samuele reprehensus, quod non obediuisset Deo, iubenti ut *interficeret peccatores Amalec*, respondit: *imo audiui vocem Domini, feci que quod iussu fieri*. Nam infelix satis sibi esse existimauit, quod mediam partem eorum, quæ facere iussus erat, esset excusus: quasi integrè paruisset. Hos, ait S. Gregorius, similes esse *Erynaecis*, qui antequam pulsantur, caput pedesque detectos habent: sed statim atque tanguntur, se totos includunt, & fiunt instar globi in manibus tangentis: Ita antequam hi reprehendantur, clarè apparet principium & finis & prauarum eorum viarum, & gressuum; sed statim atque de illis monentur, reprehenduntur, excusationum multitudine omnia obducunt: ut appareant omninò iustificati. quemadmodum Salomon dixit de *muliere adultera, qua comedit & tergens os suum dixit, non sum operata malum*. Auertat à te Deus, ut *ò Erycius* (sicut dixit Isaias) cordis tui terram possideat, & in ea habitet: nam tunc prope eris, ut *redigaris in nihilum*; certa que erit damnatio tua. Sed quando Herynacijs se totum claudere non potest, conatur tamen aliquam partem tegere: ut, si peccatum confiteatur, illud tamen, quantum potest, excuset, dicens: non attendi, oblitus fui, fuit incuria, vrsit me necessitas, fuit vehemens occasio, vix aliud potui facere. Quemadmodum Saul, cum à Samuele reprehenderetur, quod holocaustum ante tempus obtulisset,

statim

*Arguens se
rat se argui.*

*S. Greg. l. 22.
Mora. c. 13.*

*Quinque
excusatio-
nes.*

*S. Bern. de
præcepto &
dispensat. c.
14.*

*« I.
Negatio.*

*« De gradibus
humil. gra-
du. 8.*

*k Act. 5. 3.
l Gen. 4. 9.*

*2.
m 1. Reg. 15.
20.*

Defensio.

*In pastorali.
p 5. admo-
nit. 2. § 35.
Moral. c. 24.*

*n Prou. 30.
20.
o Isai 34. 11.*

*3.
Excusatio.*

pt. Reg. 1:
11.

4.
Intentio.

q. 1. Reg. 15.
1. 5. 21.

5.
Alterius ac
cusatio.

Gen. 3. 12.

s. 1. Reg. 1:
13.

Excusatio
excusatio-
num.

Psal. 140. 3.

S. Greg. li. 4.
Moral. 6. 16.
Epl. 22. r. 9.

statim se excusauit dicens: *ipse necessitate compulsus id fecisse*, eò quòd popu-
lus ab ipso dilaberetur. Et quando huiusmodi excusationis prætexus adferri
non potest, alius accipitur: quod factum est, excusando, ob rectam in eo
intentionem, placendi scilicet Deo: quemadmodum idem Saul: quòd quies-
cisset oues & boues Amalec, cum iussus fuisset omnia interficere, illud excusa-
uit dicens: factum esse, *ut immolarentur Domino Deo*. Denique cum nihil ho-
rum pro excusatione adferri meritò potest, culpa facti in alios conijcitur:
quod induxerint, persuaserint, aut facere coegerint: quæ excusandi ratio
est omnium pessima: vt quæ non solum sit contra humilitatem, sed sæpè
etiam contra charitatem fraternam, & ipsam iustitiam, quemadmodum
impius hic Rex culpam seruati gregis, quem Deus mactare iusserat, coniecit
in populum, dicens, *pepercit populus melioribus ouibus & armentis*. Quæ etiam
fuit Adami excusatio, culpam violati Dei mandati in uxorem, quæ
vetitum pomum ipsi porrexisset, conijcens; imò & in ipsum Deum: adiecit enim:
mulier, quam dedisti mihi sociam. quemadmodum & alij culpam
suam conijcunt in carnem & naturam debilem, quam à Deo acceperunt:
Tu Domine reus es, qui talem mihi sociam, talemque naturam dedisti. Alij
verò, sicut Eua, excusant se, culpam conijcetes in Dæmonem, à quo
dicunt, se deceptos: quasi non fuisset sibi liberum, aut vires non habuissent,
ad dæmonis aut carnis, aut iniqui alicuius amici, qui peccatum persuaserunt,
tentationibus resistendum.

Hæ omnes excusationes sunt effectus superbiæ, & obstinationis in se-
quendo proprio iudicio. adeoq; astute agit, vt ipsam excusationem ita oc-
cultare studeat: ne, si talis esse deprehendatur, superbia notetur. quemad-
modum peruersus ipse Saul, (vt ait S. Gregorius) priusquam excusaret se
apud Samuelem, plurimum est illi adulatus, eumque laudauit, dicens: *s. be-
nedictus tu Domine*: vt sic iustam in eam iram deponeret; & quòd ipse male
fecerat, approbaret. Sunt adhuc alij callidiores, magisque vafri, qui ante-
quam se excusare incipiant, præfantur, se id non facturos, nisi vt facti sui
rationem reddant; & ita faciunt, quod ratio ipsa suadet. O superbiæ calli-
ditatem: quæ tot modis quæris latere: cum hac ipsa via & ratione ipsas cul-
pas magis augeas: & excusationes ipsas tunc magis manifestes, cum eas stu-
des magis occultare! produnt enim tunc se multò maiores esse ac pernicio-
siores, vt iure propterea optimo petierit Dauid à Deo: *Pone Domine
custodiam ori meo, & osium circumstantie labiis meis. nò declines cor meum in ver-
ba malitie ad excusandas excusationes in peccatis*. Nam ex me ipso adeò sum
ego peruersus, vt non solum peccata mea excusem; sed ipsas quo-
que excusationes, augendo hac ratione
ipsa peccata.

§. II. Ratio & modus correptionem accipiendi.

SI tot incommoda ex non libenter suscepta correptione consequuntur: Quanta erunt commoda, si, ut par est, suscipiatur? Noluit Ecclesiasticus proprijs verbis ea exprimere, sed affectibus vsus est loco verborum: *2 O quam bonum est* (inquit) *correptum manifestare penitentiam, sic enim effugies voluntarium peccatum.* Magnum procul dubio bonum est, quod à tot malis liberat, quod secum adfert peccatum, quod hic appellat, *voluntarium.* Nam licet omne peccatum debeat esse à voluntate admissum, sine cuius consensu nulla censetur culpa: prius tamen quàm accedat correptio, aliquid admisceri potest eius, quod appellatur inuoluntarium: ira ut non sit omnino & absolute volitum, ob ignorantiam; inaduertentiam, aut passionem acceleratam: quæ eius fuit causa. at si post correptionem, in peccato persistis: iam tunc est omnino voluntarium, malitiam continens similem peccato *Dæmonis*, & ei, quod S. Augustinus *impatientia & obstinationis in Spiritum sanctum* appellat: quod difficillimè dimittitur. Quòd si correptionem modestè acceptes: voluntarium hoc peccatum effugisti; & reliqua, ob penitentiam, quam hie te habere ostendis. Sed multò adhuc maius bonum obtinebis, ob heroicæ virtutes humilitatem, patientiam, & charitatem, quas in ea amplectenda exeres; & ob easdem etiam maiorem honorè consequeris, quàm ob culpam amiseris: ut ex præclaris actibus, quibus hæc *penitentia* (quam Ecclesiasticus hic commendat) manifestatur, facile erit cognoscere. quos actus licet cum S. Bernardo ad quatuor præcipuos reuocare.

PRIMVS actus est, internum culpæ dolorem exterius ostendere, ita *verecunde acquiescendo* correptioni, ut nullum ostendas indicium dedignationis aut tædij, nec meretricis frontem induas, sed sponse *verecundæ*. sicut sancta illa anima, quæ cum à suo dilecto reprehenderetur, dicente: *b si ignoras te, egredere, & abi ex domo meâ*, statim sancto quodam rubore operata, tantoperè Deo placuit, ut è vestigio ille eam laudauerit, dicens: *pulchra sicut geneta sicut iurivris*: audita enim eius reprehensione, valde erubuit: ideoq; pulchrior apparuit, ut intelligatur, pudorem & confusionem ob culpam admissam, facere animam pulchriorem, Dei que oculis gratiorem. Ex hoc ad secundum Actum fit transitus, ut scilicet culpam admissam *humiliter confitearis*: quod indicium est magis adhuc heroicæ humilitatis, quàm si spòte eam, & non correptus confitereris. Nam, teste S. Gregorio, facile mihi culpam confitentur, quando de ea non notatur: qui tamen ab alijs correpti, se statim excusant ac defendunt. Nam in primo existimant, se honorem aliquem acquirere cogitantes, eos, qui seipso accusant, iustos haberi: iisdem tamen existimant, se aliquid honoris amittere, si ab alijs moniti, aut cor-

2 Eccl. 20. 4

Voluntarium peccatum post correptionem.

S. Th 2. 2. q. 14. ca. 2.

Actus penitentia. Serm. 4. in Cant.

I. Verecundia.

b Cant. 1. 8.

2. S. Bern serm. 42. in Cant. Lib. 22. Moral. c. 13. Confessio.

Collat. 18. c.
11.

Victoria
inanis glo-
ria.

Odor pœni-
tentia.
c Gant. 1. 12
Vbi supra.
S. ser. 4. Af-
sumptionis.

3.
Responsio.
d Lur. 10.
46.

Hom. de fe-
rend reprob.
10. 2.

repti, taceat. sicut Monachus ille, de quo refert Casian. qui multus se affe-
rebat flagitijs inuolutus: qui tamen cum ab Abbate benigne ac leniter cor-
riperetur, ingenti tristitia & dolore affectus amaritudinem corde conce-
ptam, ne vultu quidem dissimulare potuit: quo ostendebat se suorum cri-
minum spontanea Confessione honorem, quem diximus, quasiuisset: at qui
verè humilis est, in vtroque conspicuum se & singularem præbet. nam &
spontè suas culpas confitetur, & earum correptione delectatur: confessio-
ne sua testimonium præbens veritati iustæ correptionis. Quemadmodum
Dauid statim atque Nathan Propheta eum admonuit; culpam suam agno-
uit, & confessus est, & in momento eius veniam est cōsecutus, plusque ho-
noris obtinuit, quod Rex aded potens correptioni illius Propheta se sub-
iecerit, quàm quod Goliath gigantem superauerit: Hoc enim factò super-
biæ & inanis gloria gigantem deuicit: qui solet alias de Regibus trium-
phare; nobilesque ac mundi potètes prosternere & calcare. Humiliare ita-
que correptione accepta: & obtinebis coram Deo, eiusque Angelis, & iu-
stis ac prudentibus hominibus honorem: qui mirifico odore ex his pœni-
tentia indicijs exhalante, plurimum recreantur. Nam ided sponsa post re-
prehensionem dixit: *c nardus mea dedit odorem suum*. Nardus ait S. Bernar-
dus (est herba quædam humilis, & calida, virtutem habens euacuandi pe-
ctoris frigiditates, estque symbolum *humilitatis* heroicæ: quæ, dum audit
correptionem, consuetum suum emittit odorem: quia correptus, ea audi-
ta, se se humilians tum ipse à culpa per confessionem purgatur, tum Eccle-
sia tota odore ab ea proueniente, ædificatur.

CUM hac humili confessione coniungi debet actus tertius, *mansueta* sci-
licet *responsio* ad ea in quibus est necessaria: quamuis nonnunquam expedi-
at perfecto silentio reticere: præcipuè cum corripiens iram potius quàm
zelum in corripiendo ostendit: quemadmodum tacuit d *Magdalena*, cum à
sorore sua *Martha*, & à Iuda postea reprehenderetur; & alij murmurarent
ob ea, quæ ipsa faciebat. Sed quando responsione opus est, non exculatio-
nes adhibenda, aut irata verba proferenda: sed cum humilitate & mansue-
tudine; magnisque amoris & gratitudinis indicijs, ob acceptum correptionis
beneficium est respondendum. Hoc fuit argumentum celeberrimi illius Ho-
milia, quam S. Chrysost. de hac materia habuit: nã cum ab amicis quibus-
dam monitus esset de *prolixitate cōcionum*, in eadem Homilia respondit,
se valde illis obstrictum esse, ob eam admonitionem. Nã si (ait) vestè habeas
dissutã, aut sordidã, & faciẽ maculatam: magnum tibi præstat beneficiũ, qui
eius rei te monet; gratiasque propterea illi agis. Quanto igitur magis rationi
erit cōsentaneum, gratias ei agere, qui de animæ maculis monet, vt eas ab-
stereas: & S. Basilius, si chirurgos (inquit, diligis corporis vulnera curãtes,

etiam si

etiam crucient, doloremque interant, eis que mercedem pro labore & animi gratitudinem reddis: quanto magis diligendus est; gratia que illi agende, qui anima vulneribus medetur: licet curationis tempore tristitiam aliquam afferat? Non enim conicere debes oculos tam in tristitia presentem, quam in futura salutis anime tue utilitate. Propterea siquidem dixit Salomon: *fargue sapientem, & diliges te. Et qui corripit hominem, gratia postea inueniet apud eum magis quam ille, qui per lingua blandimenta decipit.* Accipe (ait S. Bernard.) correptionem tanquam donum e celo delapsum: & ita gratum te exhibebis ei, per cuius manum eam accipis.

SED non satis est, mansuetè respondere & verbis mollibus: nisi opere ipso sequatur emendatio, & modestè obtemperes corripienti. Nam Heli mansuetissimè respondit reprehensioni, à Deo sibi per Samuelem obiecta: sed parum profecit ea responsio: quia se non emendauit. Quare præcipuus correptionis fructus est, mox parere eis, quæ proponuntur, manus applicando ad opus ipsum, vt lapsus statim reparetur, & tunc virtutum NARBUS maiorem ex se dimittit odorem, qui omnes ædificat & consolatur. Vt que hodie (ait S. Chryost.) totam Ecclesiam ædificat exemplum i *Moyse*, quâdo monitus à *Ietro* socero suo (vt supra dicebamus) eò quòd totius populi Israel gubernationem solus portaret, & suadete, vt onus illud in alios viros graues & prudentes distribueret: id *Moyse* statim executus est, nec timuit, se propterea à populo contemnendum: nec laborauit, vt rationem aliquam quaereret, ob quam alij existimarent, consilium illud à se, & non ab alio prouenisse: sed, vtpotè humilis, alterius se iudicio subiecit: maiorem verò affert admirationem, quòd ipsemet, ad perpetuam rei memoriam scriptum id reliquerit: vt omnes intelligerent, sibi nunquam illud consilium incidisse, & libenter vidisse, ab alio se esse correptum; ac desiderasse, vt omnes exemplum huiusmodi ab ipso acciperent. Et eodem Spiritu S. Paulus scriptam reliquit admonitionem, quam fecit sancto Petro; & idem S. Petrus, vtpotè humilis, etiam si nouerat eam admonitionem in Epistolis sancti Pauli esse notatam, easdem tamen ipse approbavit, desiderans, omnes eas legere. vt omnes intelligant, eum qui corripitur ob aliquam culpam, nihil honoris amittere, si se emendet: maximum potius acquirere, dum tot heroicis virtutes exercet quæ, præteritarum culparum damnum abundè reparant.

† *Prou. 9. 8.*
‡ *Pro. 28. 23.*

4.
h 1. *eg. 3. 18.*
Emendatio.

i *Exod. 18.*
24.

Sanctorum
humilitas.